

stricte beneficia vestrae obedientiae deberent repartiri, quod exinde darentur annalia, et si per consequens Extravagans Suscepti haberet locum in illis, quod non credo; facit de re si propter tua de rescriptis lib. VI.<sup>k)</sup> et ibi notatur per glo. et Archid. Generaliter enim statuta vel observata non sunt efficacia ad tollendum certum actum et determinatum usum, specialiter ad hoc de offic. dele. ex parte N.<sup>l)</sup> et quod legitur et notatur II. q. VII. lator in principio<sup>m)</sup>; ad hoc etiam facit, quia in toto iure generi per speciem derogatur, ff. de reg. iuris in toto<sup>n)</sup> de praebendis dudum<sup>o)</sup>, q. nos igitur lib. VI. de reg. iuris generi et in generali eod. lib.<sup>p)</sup>, maxime quia per hoc cultus divinus diminueretur, si annalia solverentur de obedientiis iam dictis et distributiones sic forte dari non contingerent, papa autem et ius cultum divinum augeri desiderat non minui, de rescr. c. ult. li. VI<sup>q)</sup> et de hoc in glo. super V. fructibus et tribus sequentibus glo. Datum in Nisa opido Wratislaviensis diocesis XVII<sup>o</sup>. Kal. Maii anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XL. secundo meo sub sigillo.

Nach dem sehr flüchtig geschriebenen Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel an einem von der Urkunde zum Theil abgetrennten Pergamentstreifen.

k) c. 10 X. de rescriptis in VI. lib. I. 3. l) c. 12 X. de officio delegati lib. I. 29. m) Decr. Grat. P. II. c. 44 in princ. C. 2. qu. 7. n) l. 80 ff. de regulis iur. 50, 17. o) c. 14 X. de praebendis in VI. lib. III. 4. p) c. 34 et 81 X. de regulis iur. in VI. lib. V. 12. q) c. 15 X. de rescriptis in VI. lib. I. 3.

No. 438. 1342. 15. Apr.

*Rechtsgutachten des Domherrn zu Posen Nikolaus von Swyn in derselben Frage.*

Venerabilibus viris et discretis dominis Conrado praeposito, Henrico decano totique capitulo ecclesiae Mynsensis Nicolaus de Swyn canonicus Poznaniensis salutem et sinceram in domino karitatem. Factum tale est: In ecclesia Mynsensi est certus canonicorum numerus et distinctae praebendae maiores et minores. Capitulum dictae ecclesiae habentes quosdam communes redditus communiter et concorditer statuerunt et ordinaverunt de dictis communibus redditibus octo portiones maiores et sex minores, et unam portionem duobus vicariis episcopalibus et unam hospitali, et commiserunt illas portiones praeter ultimas duas suis concanonicis ad vitae suae tempora possidendas, et singulis portionibus imposuerunt certum quid in certis terminis annis singulis persolvendum in omnem eventum sterilitatis, hostilitatis, tempestatis et cuiuslibet alterius excusationis defensione remotis, ac si quispiam onus seu censum impositum in toto vel in parte in statutis terminis non solveret et monitus de neglectis plene non satisfaceret, infra mensem ab ipsa portione caderet et sine spe restitutionis sua foret omnino portione privatus, et decanus pro tempore eam illi, qui in ordine receptionis est proximus, assignare deberet — — — — —  
— — Concludo igitur quod dictae portiones non sunt beneficia sed redditus capituli communes certis ex ordinatione capituli assignati personis, quare dicta Extravagans Suscepti<sup>a)</sup>, quae in beneficiis loquitur, in eis non vendicat sibi locum. Ita ego Nicolaus de Swyn canonicus ecclesiae Poznaniensis sentio pro hac vice et de insufficientia

a) Extravag. Johannis PP. XXII. de electione I. 2.